

7

D. A. G.
DISSERTATIO GRADUALIS,
DE
INTELLECTUS
ET
VOLUNTATIS
MUTUA DEPENDENTIA.

Q U A M,
Consens. Amplissim. Facultat. Philosoph.
In Illustri ad Auram Athenæo,

PRÆSIDE

Maxime Rever. atque Celeberrimo Viro

M^{AG.} WILHELMO
ROBERT. NAÄF,

Logices & Metaphysices PROFESS. Reg. & Ord.
Facult. Phil. h. t. DECANO maxime spectabili.

Ad publicum examen modeste defert

CAROLUS G. WALLENIUS

V. D. M.

In AUDITORIO MAJORI die XXV. Februarii

An. MDCCLXXV.

Horis ante meridiem solitis.

A B O Æ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.



§. I.

Artes, si quas ingeniosiores humana invenerit industria, avide excutimus, summisque laudibus in astra efferimus: miramur statuam Phidiae, delectamur pictura Apellis; in hominis igitur, omnium operum Divinorum artificiosissimi, inprimis vero animae, quam merito naturæ miraculum dixeris, penitiorum quod feramur contemplationem, quid mirum? Profecto, quicquid cœlum, quicquid terra, quicquid mare continet, eorum omnium ideas atque imagines hæc ipsa complecti potest, ita quidem, ut ex comparatione idearum, novas plane & abstractas formare, adeoque ratiocinia contexere, & causarum causas longa serie investigare queat. Tanta est ejus in agendo velocitas, ut vel momento per cœlorum ambitus & horribilia spatia feratur. Vix jusseris eam ire ultra Saurobatas ac glaciale mare, & jam confectum est iter. Vix domum revocaveris, etiam domi est. Versat se & vagatur quaqua versum, immobili licet corpore, atque cum nulla re alatur, vivit contemplatione omnium. Unde dijudicatu haud difficile est, aliam quandam in homine esse substantiam, diversam quidem a corpore, sed cum eo tamen, arctissimo vinculo conjunctam, quæ tot mirabilium causa sit, & vastissi-

stiffimum totius orbis ambitum, veluti compendio quodam, possit complecti. Nam, quomodocunque materia consideretur, præter extensionem, divisibilitatem, & potentiam promiscuum recipiendi motum, in ea, generatim spectata, nihil observare licet. At, quomodocunque demum, partes dividuæ combinentur, disponantur, ac inter se invicem misceantur, nihil tamen inde, quod cogitationi, ne dum tam innumeris stupendisque cogitationum modis, respondeat, ulla ratione elici poterit. Modus, quo mens, tanquam substantia omni materiæ expers, in corpus suum agere, & ab eo rursus affici possit, semper fuit crux Philosophorum, & quamvis de effectu constet certissime, tamen ipsum hujus commercii arcanum hæcenus ignorari, neminem fateri pudet. Sic quoque ordinem & harmoniam, quam facultates inter mentis natura voluit intimam, paullo penitius si confideremus, rerum utique mirabilium contemplatione obruemur, immo abyssos videbimus, & in admirationem sapientissimi Creatoris rapiemur venerabundi. Est vero intellectus & voluntatis mutua dependentia, quam nunc levi delineare penicillo, apud animum meum constitui. Tuum interim erit B. L. ea, qua es, æquanimitate omnia benigne interpretari, & eorum, quæ minus exacte exposita sint, facilem Te præbere cenforem.

§. II.

Etjamfi materialiter & ratione essentiæ spectata mens, omnis

utique, ad naturam aliorum spirituum, divisionis pariter ac compositionis expertus est; formaliter tamen, prout, ratione diversorum sibi obversantium objectorum, non uno, sed variis modis operatur, distinctæ ejus a nobis concipiuntur facultates. In his duæ præ cæteris potissimum eminere videntur, ad quas, ceu principes, reliquæ, quotquot demum fuerint, commode referri possunt, intellectus nempe & voluntas. *Ille*, in latiori sumtus significatione, est ea mentis nostræ facultas, qua res quaslibet nobis repræsentare, & verum a falso, bonum a malo, quocunque modo discernere valemus: hæc, qua ex principio activo interno, ad volendum & non volendum, ad hoc vel aliud, citra necessitatem, cum ratione nos determinamus. Neque hic moramur Cartesium, Poiretum, & qui cum illis paria faciunt, recentiores Indifferentistas, contendentes, affirmare, negare, dubitare, nihil aliud esse, quam diversos volendi modos: contra hos enim recte observat Canzius, (a) sæpe nos affirmare ea, a quibus vehementissime abhorremus, sæpe & negare, in quæ nostra tendit voluntas. Id tantum adjungimus, ex repræsentationibus, utcunque multiplicatis, nullam oriri posse vel appetitum vel averfationem: Deumque proinde, præter vim repræsentandi, sapientissime omnino menti impressisse conatum quendam bonum obtinendi, malumque removendi; inutilis quippe redderetur religio, & omnis evanesceret humani generis felicitas, si nullum hominibus cum DEO commercium & mundo esset, præter meras horum repræsentationes.

(a) Medit. Phil. §. 844.

§. III.

His præmissis, obiter strictimque, ut eo feliciori progrediamur pede, jam evicisse juvat, cur hoc illudve, hic & nunc appetamus, vel aversemur, aliquam adesse
de-

debere rationem, in representationibus intellectus, vel confusis, vel distinctis quarendam. Nam quatenus voluntas spectatur ut facultas, non ad unum magis, quam alterum est determinata, sed nudam involvit agendi potentiam, qua posita, non poni actum, ex Ontologicis constat. Quatenus vero consideratur ut actus, qui etiam volitio dicitur, involvit exercitium facultatis volendi, sive contingentem actionem, quæ sufficientem postulat rationem, cur fiat potius, quam non fiat, hoc modo, & non alio. Dum enim determinate appetis, vel averfaris, præsto fit, oportet, quod te ad appetendum, vel averfandum determinet; cum alias plus esset in effectu, quam causa, plus in conclusione, seu actu voluntatis, quam in præmissis. Intelligitur ergo, animam, in volendo, nihil eligere; nihil averfari, nisi sufficiens electionis & averfationis adsit ratio, hoc est, nisi aliquod volendi motivum habeat, in boni vel mali, quoad subjectum volens, representationibus vel confusis, vel distinctis; his enim positis, perspicimus, cur actio, per voluntatis facultatem possibilis, oriatur potius, quam non oriatur. Unde propositionis nostræ veritas sua radiat luce.

§. IV.

Hanc tamen voluntatis ab intellectu dependentiam non ita adfertam volumus, ac si hic ab illius imperio plane pleneque esset immunis. Verum quidem est, voluntatem haud efficere posse, ad nutum suum intellectus ut intelligat, vel aliter res cognoscat, quam cognoscit; positis enim omnibus ad agendum requisitis, non magis potest intellectus rem non cognoscere, quam oculus apertus in media luce objectum suum non videre. Unde & experientia, fidissima illa rerum, magistra, edocet

novimus, nos sæpe invitos intelligere, quæ ignorare malle-
 mus. Hæc tamen non obstant, quo minus facile, &
 vel nutu quodam, ab intellectu impetret voluntas, ut
 mox has, mox alias ideas sibi exhibeat, alias mox di-
 mittat, mox revocet alias, aliis denique accuratius, aliis
 segnus considerandis inhæreat; qua quidem ratione sæ-
 pissime contingit, ut res cognitæ longe aliter se nobis,
 quam antea, exhibeant, atque vera esse credamus, quæ
 pro falsis & erroneis olim habuimus, & versa vice.
 Neque tamen, ut verbis utar Bilfingeri, intellectus ali-
 ter de iisdem momentis, & eodem respectu considera-
 tis, pronunciat, si propter voluntatem emendatam vel
 corruptam approbat, quæ improbavit antea, & vicis-
 sim. Sed attendit alia momenta, vel eadem aliis colla-
 ta, vel negligit in attentione quædam momenta antea
 attendita; aliquando neque intellectus pronunciat, sed
 appetitus sensitivus & affectus stimulant (a). Quotidi-
 ana enim loquitur experientia, quo vehementius obje-
 ctum aliquod appetimus, vel aversamur, eo magis at-
 tentionem nostram ad illud dirigi, quippe vivide adeo
 menti sistitur, ut velut præsentissimum illud percipiamus
 & degustemus. Quum igitur, per affectuum turbinem,
 attentio tota in uno defigatur objecto, neque ab eodem
 facile abstrahatur; fit, ut ad alias rei atque actionis cir-
 cumstantias parum vel nihil attendamus, & eatenus men-
 tis nostræ ingenique aciei tenebras obducamus, ut genu-
 inam rei naturam intueri ac rite explorare nequeat.
 Præclare hanc in rem Leibnitius. (b): "Circa paralleli-
 smum, institutum inter intellectum in ordine ad verum,
 & voluntatem in ordine ad bonum, sciendum est, quod
 clara distinctaque perceptio veritatis, actu in se veritatis
 ejusdem adfirmationem contineat, unde fit, ut intelle-
 ctus ea ipsa perceptione necessitetur. Sed qualiscunque
 demum perceptio boni sit, conatus agendi post judicium,
 in

in quo voluntatis essentiam repositam esse arbitror, a perceptione distinguitur. Unde, cum tempore opus sit, ut hic conatus ad fastigium suum perducatur, suspendi ille, immo mutari potest, intercurrente nova perceptione vel inclinatione, quæ mentem alio avertit, immo frequenter imbuat iudicio contrario. Hinc est, quod mens nostra tot habeat agnitæ veritati resistendi vias, tantusque sit a mente ad cor, ab intellectu ad voluntatem trajectus; præsertim ubi intellectus, fere per cogitationes surdas, & in movendo parum efficaces, procedit."

(a) Cog. Rat. de DEO, Anim. & mund. §. 286. (b) Theod. §. 311.

§. V.

Ex his, ita factis transactisque, colligere in proclivi est, eam quoque esse voluntatis ab intellectu dependentiam, ut illius emendatio ne cogitari quidem, ne dum cum aliquo successu tentari queat nisi intellectu prius, saltem aliquatenus, emendato. Quemadmodum enim voluntatis emendatio eo ipso obtinetur, quod repressis pravis cupiditatibus, quibus mens stimolata malum, specioso boni habitu ornatum, quam sæpissime arripit, nunc vere bonum ardenti desiderio sitiatur, serioque confectetur; ita necesse omnino est, ut intellectus noster prius hac notitia sit imbutus, nos hactenus falsa specie fuisse delusos, saltem majori bono minus prætulisse. Neque enim fieri potest, ut quisquam voluntatem suam velit emendatam, nisi antea sibi perspectum habuerit, eam corruptam esse ac morbidam. An etiam quisquam illam ex voto emendet, nisi prius didicerit, vere bona a falsis discernere, & distincte noverit, qua ratione emendatio sit tentanda, quæ remedia morbis sanandis inserviant? Profecto

fecto cum voluntas absque representationibus boni & mali, undecunque oblata, nihil appetere, vel averfari queat; (§. III.) impossibile omnino est, ut voluntatis tollatur pravitas, verumque bonum serio appetat, nisi intellectus in judicio suo convenientiam vel repugnantiam subjecti & prædicati adcurate perpexerit, & per attentionem distinctas sibi objecti eligendi vel repudiandi acquisiverit ideas. Ponamus enim tantisper contrarium; fingamus, absque prævia intellectus luce, & distincta rerum representatione, aliquam dari voluntatis emendationem; consequens est, ut hæc ipsa vel a confusis sensuum & imaginationis representationibus, vel a nihilo ortum traheret. Quorum utrumque cum oppido absenum fit; nihil restat, nisi ut ingenue concedamus, frustra omnino voluntatis expectari emendationem, nisi intellectus ab erroribus fuerit repurgatus.

§ VI.

Tametsi non numero argumentorum, sed eorum pondere, veritatem metimur; ut eo fortius tamen adversarios erroris convincamus, singula, quæ præstare nos oportet, officiorum genera, & circa quæ emendatio voluntatis sese conspiciendam præbet, animo perlustrare juvat. Quod igitur ad officia erga Deum atinet, ut hæc communi *Pietatis* nomine venire solent, & cultum Dei, tam internum, quam externum, ambitu suo comprehendunt; ita, quoniam cultus divinus, generatim spectatus, absolvitur actionibus, quarum motiva sunt perfectiones divinæ; utrumque cultum certam & vivam harum perfectionum supponere cognitionem, res clarior est, quam ut in dubium vocari debeat. Sic nemo poterit Deum supra omnia amare, nisi de summa ejus bonitate ac promptitudine nostras promovendi perfectiones, nec non sapientia,

tia, qua convenientissima media finibus subordinat, cunctaque ad finem ultimum dirigit, certo fuerit persuasus. Pari modo, quia impossibile est, filiali timore Deum venerari, nisi sciam, cur sit timendus; hæc antecedit scientia, necesse est, quod præter infinitam bonitatem, summa quoque gaudeat justitia vindicativa, qua nullum peccatum sine præstita satisfactione relinquere potest inultum, & infinita potentia, qua refractarios & inobedientes summis afficere valet malis. Et quis, quæso, inordinatis affectibus, cum dilectione Dei supra omnia ejusque filiali timore haudquaquam conciliandis, obicem ponet, nisi serius ocyus didicerit, per earum blanditias nos immenso bono privari, & immani affici damno? Quis promptitudine gaudebit legi Divinæ obsequium præstandi, nisi intimam sui a DEO dependentiam animo præfenserit? Quis denique obsequium præstabit, nisi legis generalia saltem præcepta cognita habuerit? Addo unicum, idque suo forte merito haud ultimo loco ponendum: crescit amor DEI, quantum ipsa crescit cognitio. Infans, pretia rerum ignorans, non magis amat aurum, quam rem splendentem aliam. Hoc magis autem DEUM amabis, & propter DEUM etiam proximum, quo majori attentione ad infinitas DEI perfectiones atque stupenda opera reflexeris, serio perpendens, quam innumera plane, ac gratuita sint bona, quæ ipsi accepta referamus. Contra ea, quo minus veritatem hac in parte cognoveris, eo minus amabis. Verus enim amor ex veris, non erroneis, non spuris profluit fontibus. Neque officiorum, quæ nobismet ipsis & aliis præstare debemus, diversa est ratio. Qua enim fieri ratione potest, ut sectemur ea, quæ nos statumque nostrum perfectiorem reddunt, si animi pariter ac corporis indolem & statum penitus ignoremus? Quomodo cum aliis socialem transiget vitam, qui humanæ societatis naturam

ac conditionem sibi non reddiderit familiarem, & juris pariter ac obligationis, adeoque & legum Civilium cognitionem aut nullam habuerit, aut obscuram tantummodo & confusam? Ex quibus omnibus videtur mihi evidenti veritatis nexu sequi, cognoscendi facultatem, aliqua saltem ratione, prius corrigi debere, quam ullum sperari queat emendandæ voluntatis initium.

§. VII.

Quantum intersit, veritatem, quam hæcenus §. V. & VI. adstruximus, a dissentientium strophis fartam tectamque servare, nemo, opinor, in orbe erudito non plane hospes, facile ignorat. Qui enim hic, novitatis studio abrepti, de facultatibus mentis, earumque functionibus, non recte statuunt, summa utique imis miscent, fontemque aperiant, unde foetidissimi dimanant errorum rivuli, Philosophiam non minus, quam Theologiam Moralem inquinantes. Quod si vero in censum non veniat petulantia illa, qua varia S. Scripturæ loca, ab aliis dudum feliciter vindicata, in alienum torquentur sensum; nihil fere ipsis in promptu est, quo speciem suæ concilient hypothesi, præter id, quod errores omnes a perversa voluntate, tanquam communi eorum scaturigine, nimis audacter arcessant. Hinc enim inferunt: Si intellectus omnem suam labem ex corrupta voluntate trahat, etiam emendationem mentis a voluntate inchoandam esse; cum intellectus error, ut effectus, manente ejus causa, tolli nequeat. (a) Equidem non diffitemur, voluntatem posse intellectum ad hanc, vel illam rem considerandam interdum determinare, interdum quoque ab illa avertere; quo nomine etiam suas partes in erroribus producendis habere potest voluntas. Sed id quoque nobis est concedendum, volunta-

luntatem minime impedire posse, quo minus in evidentibus unum affirmet, alterum neget intellectus §. IV. Sola igitur determinatione ad exercitium actus, non ita in iudicium influit voluntas, ut hoc ab illa, non ab intellectu, derivari debeat. Scilicet, uti error est assensus propositioni falsæ datus; ita errans affirmat, quod erat negandum, & negat, quod erat affirmandum. (b) Error igitur originem debet neglectæ attentioni & ad rem ipsam, & ad præcepta, quibus veram illius & distinctam notionem nobis comparare licet. Jam vero voluntas, cupiditatum vi in transversum acta, attentionem maxime trahit in objectum, circa quod versatur, efficitque, ut ad alia, ab eodem diversa, non attendamus. Quam ob rem, cum in appetendo averfandoque, repræsentationibus boni malique, vel distinctis, vel confusis dirigamur; haud immerito quæritur, num ex distinctis, an confusis repræsentationibus pendeat, quod perversa voluntas nolit ad indolem objectorum eorumque affectiones attendere? Non prius, quia si voluntas per distinctas determinaretur repræsentationes, non amplius esset perversa; id quod hypothesin evertit. Ergo posterius est concedendum, defectum nempe attentionis ex repræsentationibus oriri confusis, omnemque proinde errorem, suam illis debere originem. Accedit, quod supra §. III. evictum sit, appetitus & averfationis in genere nullam dari rationem sufficientem, nisi in repræsentationibus distinctis, vel confusis. Unde simul patet, qui ex perversa voluntate omnes in universum errores derivant, eos in celebratissimum illud impingere rationis sufficientis principium. Quid, quod, si vel maxime omnis intellectus corruptio, contra jam demonstrata, a sola voluntate arcessi posset, non inde tamen prono fluit alveo, quod urgent dissentientes, initium nempe emendandæ mentis a voluntate fieri debere. Nam, licet vel maxime errores omnium

periculosissimi committantur, dum intellectum antever-
 tit, inque blandum assensum illicit voluntas; num eo i-
 pso tamen emendatur, quod cæco ruat impetu, intellectus
 face remota? Profecto, ut fictis suis deliciis nuntium
 mittat, firmum iudicium antecedit, necesse est, non con-
 fusis, sed distinctis, nitens ideis, quæ veri præstantiam
 sistant, spurixque voluptati fucum abstergant. Ita, si
 quis in lædendis opprimendisque aliis sua quæsierit com-
 pendia, qui, quæso, ad meliorem redibit frugem, nisi
 serio ipsi fuerit persuasum, sub specie promovendi nostri
 commodi, sanctiores fines non insuper esse habendos,
 & dum felicitati nostræ inconsulte litamus, in media sæ-
 penumero nos ruere infortunia? Pari modo, qui dulce
 putant voluptatum aliorumque vitiorum cœno volutari,
 quomodo eorum pectus honesto incoquetur, nisi vel
 domestica experientia, vel aliorum indicio animadver-
 terint, vitia dulces esse Sirenas, quæ postquam brevi de-
 mulserunt, diu pungunt, excruciant. Plura non addam,
 cum finem vix, ac ne vix quidem invenirem, si ex larga
 exemplorum messe, quæ hic sese offerunt, omnia addu-
 cere vellem, quæ meam corroborarent sententiam. Quam
 tamen non ita accipi volo, ac si contenderem, emendationem
 intellectus penitus absolvi debere, antequam voluntas e-
 mendationem aliquam perfentiscat. Neque enim diffiteor,
 utramque facultatem mutuam hic jungere operam,
 & voluntatis emendationem crescentis in intellectu lu-
 minis subsidium esse; cum voluntas, aliquatenus sanitati
 restituta, ab intellectu removeat impedimenta ulterioris
 cognitionis, per attentionem acquirendæ, & ad objecta
 penitus consideranda eum determinet. Id tantum urgeo,
 ab intellectu quidem inchoandam esse mentis emenda-
 tionem, sed mutuis tamen & continuis utriusque facul-
 tatis progressionibus perficiendam.

(a) conf. Thomaf. Diff. an Hæresis fit crimen p. 15. Syrb. Phil. Rat. Part. I. Cap. 5. Budd. Phil. Inst. Part. I. Cap. 4. §. 42. (b) Wolf. Log. §. 623. 624.

§. VIII.

Ast hæc mihi differenti nescio quis aurem vellit, interrogatque: ergone tam arctus inter intellectum & voluntatem est nexus, ut, posita illius emendatione, hujus quoque emendatio poni debeat? Nos, salva aliorum auctoritate, ad intricatam hanc & difficilem quæstionem, negando respondemus. Verum quidem, immo verissimum est, boni malique rationem vix suis coloribus in mente pingi posse, quin animus suaviter alliciatur ad bonum, & a malo retrahatur. At semper tamen in mentis potestate situm est, huic nisi ultroneum consensum vel præbere, vel derogare; præsertim cum per activitatem suam veris illis boni malique imaginibus velamen quoddam prætexere, & earum loco spurias atque in contrariam partem impellentes sistere queat §. IV. Etenim intellectus non absoluti imperii & despotici dominus est, sed conciliarius tantum, & lux, & savor voluntatis. Nec judicium ejus practicum rationem præcepti irresistibilis habet. Fac enim illud, hoc modo, voluntatem determinare; consequens est, ut posito judicio, non posset non poni volitio, & sequi effectus. Secus vero rem sese habere, nemo ad semet ipsum attendens, facile ignorat. Fieri igitur potest, & proh dolor! sæpissime fit, ut voluntas bonum, ab intellectu monstratum, non recipiat, nec quoties hic emendare nititur, illa se patiat emendari. Tristi nimirum edocemur experientia, quod multi, licet vel maxime veritatis vi addacti, de voluntatis emendatione saluberrima ceperint consilia, eadem tamen postea haud raro

mutaverint, pravis succumbentes cupiditatibus, quæ, per diuturnam consuetudinem, quo altiores in mente egerunt radices, eo difficilius refrænantur. Sic quam plurimos etiam offendere licet, qui vel veneri & gulæ, vel ludis dediti, ita sæpe numero harum rerum illecebris inescantur, ut licet, recta ratione in consilium adhibita, plus satis perspiciant, quam dedecet, quam exitiosum & turpe sit, spurcis his servire libidinibus, nihilo secius impotentes sui, & inconsulto mentis impetu, velut turbine, abrepti, ad illam, quam modo, usi ratione, detestati fuerant, vesaniam redeant.

§. IX.

Ad emendationem igitur voluntatis obtinendam non sufficit, quod intellectus vera & distincta rerum agenda- rum notitia sit instructus, sed & simul requiritur, ut hæc ipsa determinationem voluntatis ingrediatur, seu ad praxin deducatur, ac viva evadat; cum alias frustranea foret, utcunque speciosis niteretur ratiociniis. Neque enim latis est, veritates nosse morales: debemus eas quoque exsequi; omnis quippe virtus, in actione consistit. Hujus vero difficilem esse praxin, etiam iis, qui supra vulgum sapiunt, vel is demum ultro agnoscet, qui in hoc stadio decurrendo, vel tantillum desudaverit. Memoriae prodit Wolfius, factum de se fuisse Confusum, quod licet ab anno inde ætatis XVII. Philosophiæ practicæ, sui que emendationi assidue incubuisset, non prius tamen, quam anno LXX hunc sui laboris percepisset fructum, ut appetitus sensitivus, cum rationali in concordiam redigeretur. (a). Quicquid sit, haud deficiunt subsidia, quæ difficultates, praxin moralem constipantes, si non prorsus tollere, minuere tamen & mitigare possunt, de quibus etiam hic nobis fusius esset edisserendum. Sed cum imperata

rara brevitatis non permittat, ut in amplissimum hunc excurremus campum, uberiori necesse est calamo id relinquamus negotii. Hoc duntaxat coronidis loco observasse sufficiat, tantam esse vivæ cognitionis vim & efficaciam, ut offensa hujus, vel illius rei bonitate, aut malitia, animum vel amore vel averfatione incendat, ita quidem, ut repræsentatio sensualis, confuse, vivide tamen, bonum nobis sistens, fortius moveat voluntatem, quam idea boni distincta, nisi hæc simul fuerit viva. Sic videtur multis, dum præcepta & monita de exuendis vitiis vel milles repetuntur, idem fere accidere, quod surdis, dum fabula narratur. Nam licet vel maxime, quæ afferuntur, verissima esse, & extra omnem dubitationis aleam posita, agnoscant; licet & de virtutibus & vitiis nonnunquam egregie profus ac scite differant, animisque aliorum, quod mireris, virtutis amorem dextre, nec sine facundiæ laude instillent; ipsi tamen nihilo secius perditæ vivunt, & ab ea, quam profitentur, virtutis cognitione, immane quantum recedunt. Huc etiam pertinent omnes, qui rei cujusdam, aut personæ inordinato capti amore, non nisi ea, quæ in ipso objecto voluptate quadam eos afficiunt, contemplari solent, omnia vero removent, quæ nauseam creare possint. "Nævi enim omnes, quia objectum, ut minus amabile, sistunt, aliquid de ista voluptate diminuunt; unde homines, dum omni conatu voluptatem illam integram atque illibatam retinere contendunt, vehemens voluntatis tendentia ipsi intellectui, imaginationi, imo quandoque sensibus fucum facit." Hinc amicorum, amatorum, conjugum, liberorum nævi, ab universis, qui minus rationaliter amant, vel non advertuntur, vel minoris æstimantur, quam par erat. Immo, si vel evidentia nævorum obstet, ut negari haud possint, excusationes tamen frequentes ipse hic ardor potiundi pleno voluptatis sensu in amando suppetat.

"ditat. Quod vel in nimis quaesita excusatione delictorum, vel a nobis, aut amicis nostris admissorum, cuiusvis attendenti ad oculum patet (b)." Quemadmodum igitur, in amore inordinato, confusae sensuum & imaginationis representationes victoriam reportant, & haec tanto magis distinctis praevalent, quanto fuerint vivaciores; ita tenebras noctemque menti offundunt, adeo quidem, ut saepenumero nec ad nostra, nec aliorum, quos impense amamus, vitia attendamus, remorasque non solum nostrae aliorumque injiciunt emendationi, sed etiam efficiunt, ut in dies vitia altiores agant radices.

Sed manum de tabula.

(a) In Annot. ad Orat. de Sinarum Phil. Pract. not. 80 p. 58.

(b) Wesenf. in Georg. anim. & vit. pag. 46.

